QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS mane discutienda in Scholis Medicorum, die Martis 9 Februarii 1723.

M. DAVID VASSE,

DOCTORE MEDICO PRÆSIDE.

Est-ne anima Corporis facultatum principium?

I.

ANIMÆ nomen obscurius quàm ejus natura. Menti, ætheri, igni, vento, sanguini, partium harmoniæ nomen idem fecerunt homini, brutis, plantis ipsique mundo commune: immane quantum re discrepant.

Clarius definitur anima, res cogitans, corporis causa. Cum enim peragrato universo orbe in seipsam anima redit, id primum & cogitare se & esse novit. Mox proprium corpus à quo recedere etiamsi velit, non potest, & suo in illud imperio & sensu percipit. Anima in corpore nusquam minus otiosa, quàm cum otiosa: nullum enim cogitandi finem facit. Insignes cogitandi modi, sunt intelligere, percipere, velle, sentire. Sentit in cerebro, non in sensuum organis, non succussione nervorum sed spirituum refluxu & undulationis motu. Nihil ad animæ nutum fit in corpore, cujus ipsa non sit conscia. Non audiendi qui perperam affingere solent animæ ignoranti, imo & invitæ, quod soli corporis fabricæ debetur; quasi vero anima cui cogitare, vivere est, quicquam incogitans agere possit aut pati. Quid autem cogitare, nisi eorum conscium esse quæ in nobis geruntur?

II.

A Tot sæculis Medicinæ proceres, candidæ illæ animæ, summi viri ad hominum bonum & Jatrices ornamentum è Cœ-

lo delapſi facultatum nomina uſurparunt, plane ut mirum ſit à nonnullis ea repudiari. Peccant in bonam mentem qui nomina longo uſu comprobata & felici eventu in diſciplinis recepta eliminare contendunt. Recentiores quibus neſcio quo bono fato contigit eſſe tam beatis ut ad naturæ ſinum propius accederent, de re magis quam de nomine ſolliciti fuerunt. Quos rerum uſus incautos non reliquit & nomine & re felicius utantur. Antiquiores veram curandi artem in quâ totus penè Medicinæ honos; Recentiores genuinam philoſophandi rationem quæ plurimùm ſplendoris arti noſtræ attulit tradidêre. Utriſque ſua laus. Facultatum vocabulo bene utuntur qui earum naturam exponunt. Quid igitur facultas niſi agendi vel patiendi vis à Naturâ indita? quæ triplex in homine diſtinguitur; prima eſt animæ quatenus mens ſeu intelligentia, ſic facultate intelligendi, ſui ipſius, Dei & veri ideis ſeu notionibus informatur. Altera eſt corporis ut machinæ cujuſdam elegantis à ſupremo artifice mirè conſtructæ: hinc vi mechanicâ corpus gignitur, alitur, & augetur. Poſtrema facutlas in eo ſita eſt ut ad motnm corporis accedat animæ cogitatio: ſic ſentit homo, rerum corporearum imagines contemplatur, & ad arbitrium loco movetur.

III.

UT mens humana ſine corporis auxilio, quædam intelligit quod impreſſas earum formas à Naturâ acceperit, ita & corpus abſque animæ imperio aliquando movetur. Cum hominem altiori ſomno oppreſſum ſeſe in lectulo verſantem vides, aut Poëtam ſecum verſus commentantem & modo frontem contrahere, modo digito caput ſcalpere, modo manus ad articulorum ſtrepitum conterere, vel pede terram ſupplodere. An ea volentem agere putes? Idem ſi forte æſtro percitus deambulatum prodit, pateat fovea non videt, revoces, non audit, cœno immerſus hæreat, nec humorem, nec fœtorem ſentit. Quid ita? Aliis anima diſtrahitur cogitationibus, eaque fiunt à ſpiritibus qui in ſolitas, tritaſque vias influunt. Videas ſomnanbulum deambulantem in ſubgrundiis, tranſnatantem flumen, trajicientem iterum, & ad lectum quiete redeuntem, mechanices leges obſervando accuratius quam ſi vigilaret. An ne anima id jubet aut ſentit?

IV.

CORPUS humanum machina eſt egregia, formæ præſtantis & inceſſus plane ſuſpiciendi. Homo autem machina cum animâ conjuncta. Ab ovo prodit, quod promovetur a ſpiritu ſeminali & nutritur colliquamento & materno ſanguine. Cor ejus pulſat ſpirituum & ſanguinis vi. Eundem cum matre ſpirat aëra. Excluditur cum proprio, tum matris conamine tenellus infans, ab aëre compreſſus tripudiare incipit & reſpirare. Meconium ejicit inteſtinorum ope, lac ſugit pectoris & abdominis dilatatione. Grandior fit extenſione fibrarum. Alimenta puer, adultus & ſenex in ore comminuit & ſubigit dentium & ſalivæ miniſterio. Deglutit muſculorum & fibrarum œſophagi contractione. Deglutita diſſolvuntur in ventriculo à fermento ſalſo in quo ſal acre dominatur, non acidam inde chimus qui in inteſtina deſcendit tum proprio pondere, tum fibrarum ventriculi, diaphragmatis & muſculorum abdominis beneficio. Chimus in chilum ſolvitur à bile & ſucco pancreatico. In vaſa defertur lactea, ſanguiferaque inteſtinorum, diaphragmatis & muſculorum etiam abdominis motu. Fit ſanguis ab ipſo ſanguine, tumultuatur præcipue à fermento in pulmonibus accepto. E corde in partes, è partibus ad cor tendit, cordis & arteriarum impulſu. Cor anthlia, mactra, muſculuſque quadriventer & ſphincter, antagoniſta ſanguis quo plane modo urina & fœces ſunt antagoniſtæ ſphincterum veſicæ & ani. In cerebro ſpiritus, in hepate bilem, in renibus urinam, in teſtibus ſemen, in cute ſudorem, in cæteris glandulis ſalivam & lympham deponit. Cerebrum, hepar, renes, teſtes, uterus, palatum, æſophagus, ventriculus, inteſtina, bronchia, pleura, pericardium, peritonæum, cutis ipſa glandulæ ſunt. Glandula autem retè fibris elaſticis contextum in cujus areolis conſitæ ſunt veſiculæ tubulique ad fluidi ſecretionem. Demum quæ in automatis eædem penè in corpore humano leges obſervantur. Inter ſolidas ejus partes adſunt throcleæ, cunei, cochleæ, vectes omnium generum in quibus æquilibrium, centrum gravitatis, linea directionis & tractionis, potentia, pondus & hypomoclion conſiderandæ. Præterea liquorum motus determinatio, reſiſtentia & velocitas; tum & vaſorum figura, contextus, longitudo & diameter perpendenda, ut corporis humani natura innoteſcat. Nullæ in his omnibus animæ utcumque præſentis partes. Hæc vitam ſupponunt ſive animæ cum corpore conjonctionem : verum à ſolâ

corporis fabricâ perficiuntur; si pauca excipias, respirationem deglutitionem & excrementorum ejectionem quæ anima jubente sæpe, imo & non jubente fiunt.

V.

ERGO animæ sua jura certa atque manifesta servemus. Nihil alienum ipsi tribuamus. Hæc nos pecudum dissimiles, Deique similes reddat, sit illa sapientiæ sedes, parens artium, inventrix scientiarum, magistra morum, domicilium virtutum. Sola in corpore humano principatum teneat, præsentia complectatur, futura prævideat, præteritarum recordetur. Sola voluptatem doloremque percipiat, ac cætera quæ sensus movent, corpusque quo libitum fuerit, jubeat circumferri. Affectus suos in corpore exprimat, illâ irascente corpus excandescat, timente frigeat, mœrente languescat. Hæc videlicet pignora sunt miri illius fœderis quod inter animam & corpus divinitùs sancitum est, ea lege ut suis pars utraque bonis frueretur. Quamvis autem mutuam operam continuò ferme sibi præstent, verumtamen anima non causa motuum corporis, sed in causa cur corpus variè moveatur, pariterque corpus in causa tantùm modò cur anima variè afficiatur à rerum Conditore.

Non ergo anima corporis facultatum principium.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Gabriel-Antonius Jacques.	*M. Claudius Brunet.*	*M. Joannes Boudin, antiquus Facultatis Decanus, Regi à sanctioribus Consiliis & Serenissimi Delphini & Delphinæ dum viverint, Medicus primarius & Medicus Regis perpetuo ordinarius & primarius Augustæ Principissæ Reginæ designatæ.*
M. Claudius de la Vigne de Frecheville.	*M. Ludovicus de Santeul.*	*M. Guydo-Erasmus Emmerez, Facultatis Exdecanus, Academiæ Censor & Pharmaciæ Professor.*
M. Joannes-Damianus Chevalier.	*M. Emmanuel-Mauricius du Verney.*	*M. Franciscus Afforty, antiquus Facultatis Decanus.*

Proponebat Parisiis LUDOVICUS COSNIER, Flexiensis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1723. à sextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.